Quia autem angeli hominibus praesunt, propheta
testatur angelus dicens: Princeps regni Persarum
restitit mihi. Quod vero angeli a superiorum an-
gelorum potestatibus dispensantur, Zacharias per-
hibet propheta qui ait: Ecce angelus qui loque-
batur in me egrediebatur, et angelus alius egre-
diebatur in occursum eius, et dixit ad eum: Curre et
loquere ad puerum istum dicens: Absque mu-
ro habitabitur Iherusalem. Si enim in ipsis officiis
sanctorum spirituum nequaquam potestates summae
minimas disponerent, nullo modo hoc quod
homini diceret angelus ab angelo cognovis-
set. Quia ergo cunctorum conditor omnia per se
ipsum tenet, et tamen ad distinguendum pulchre
universitatis ordinem alia aliis dispensantibus
regit, non inmerito reges angelorum spiritus accipi-
mus, qui quia auctori omnium familiarius ser-
viunt, et subiecta potius regunt. Cum regibus
ergo dormiret, quia nimirum vir tantus cum angelis
homo quiesceret, si ipsa sortis languidae sequi
noluisset. Qui bene [illegible] etiam consules
vocantur, quia spiritali reipublicae consu-
lunt, dum nos sibi ad regnum socios iun-
gunt. Bene consules vocantur, quia dum
ipsis innuentibus voluntatem conditoris
agnoscimus, in eis procul dubio consilium
ab hac angustia nostrae tribulationis invenimus.

Fragmentarium

License: public_domain – Leuven, KU Leuven Bibliotheken Bijzondere Collecties, Ms. 1477, fol. [2]v – Gregorius Magnus, <i>Moralia in Job</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-iq0n/7336/59076)